

portæ superimposuit. Quod ubi alteri innotuisset, is ira percitus, præ impotentia animi, ex imperfecta Ecclesiæ strutura, miser, sese præcipitavit. Quin & alius, eiusdem pontificis iocus in eodem ponte conspicitur. Saxū constituit quadratum magnum ad normam factum, cui aliud minus imposuit, eo ipso innuens, talem fuisse omnium & maximorum, & minimorum formam, ex quibus pons hic Ratisponensis à se constructus fuit. Post, consuetudine receptum, ut vix putentur Ratisponam vidisse, qui istorum lapidum rationem dare, & eos à se visos, contestari nequeant.

Porò, ædificijs priuatis, publicis, & sacris Ratispona valde est ornata, & præsertim Cathedrali Ecclesia, quæ præ cæteris omnibus latè se visendam præbet. In hac, primus sedit Episcopus ex ordinatione S. Bonifacii, Gibolphus, Ita enim antiquus Annalium codex habet, ex quo Lazius, hæc, quæ sequuntur libro secundo Antiquitatum Viennensium inseruit, Sanctus Bonifacius Moguntinus Episcopus, Prouinciam Bauarorum, Odillione duce consentiente, in quatuor diuisit parochias, & quatuor his præsidere fecit Episcopos, quos, ordinatione facta, in Episcopatus gradum subleuauit. Quorum primus, nōmine Ioannes, in opido, quod dicitur *Salzberch*, episcopatus cathedram suscepit. Secundus, Erimprecht, qui Frisingensis Ecclesiæ principatum obtinuit. Tertius Gibolph Ratisponensis Ecclesiæ sedem accepit. Quartus, Bilibaldus, in loco, cui vocabulum est Aichstet, episcopale suscepit officium.

Denique hic coronidis loco adijciam, quod de mirandis Germaniæ antiquitatibus sermones conuiuales Conradi Peutingeri dereliquijs S. Dionysij Ratisponam relatis, hunc in modum cōmemorant, Omne, inquit, optimo euenit, ut de D. Dionysio Atheniensium Episcopo diceremus, qui vnà cum Apolophane Sophista, Heliopoli, quādo Christus Iesus passus est, solem vidit præter naturam obscuratum, & tetram noctem subitò terris obductam, cognouitq; mox verum omnium Deum, eodem Sophista respondente (ut ipse ad Polycarpum scribit) rerum has diuinarum vicissitudines esse: tunc Capernobis referebat, Gallos hunc, ut eorum Apostolum venerari, & credere, ossa eius ad secundum lapidem à Parisiensium vrbe, ad ædem sacram sepulta esse: contra tu mira suauitate recensebas, te, atque Reuerendiss. D. Episcopum & Comitem Tergestinum, Petrum Bonomum, bonarum literarum studiosissimum, cōpertum habuisse, ossa hæc ex Gallia Ratisponam ad S. Emeranum translata; Ego, ut ea comprobarem, exemplar literarum Apostolicarum, mihi à Monasticis eiusdem monasterij datum, Capro postea perlegendum misi. In eo enim **Leō Nonus Pontifex Maximus,**

Bruno antea vocatus; Tullensium Episcopus, procurantibus Gallorū Legatis, Imperatore Cæsare Henrico secundo Augusto, præsentem (cum B. VVolfgangum in diuos retulisset) declarat **Diuum**

Dionysium Arcopagitam Ratisponæ quiescere, & hæc acta esse Anno Christianzsa-

lutis M. LII. Anno Pontificatus sui quarto, Indictione quinta, Nonas

Octobris, &c. Plura Index suppeditabit.